

*«Reversus Naaman ad virum Dei»,
confessus est Dominum.*

Léctio libri secundi Regum

5, 14-17

In diébus illis:

¹⁴ Descéndit Náaman Syrus
et intínxit se in Iordáne sépties
iuxta sermónem Eliséi, viri Dei,
et restitúta est caro eius sicut caro púeri párvuli,
et mundátus est [a lepra sua].

¹⁵ Reversúsque ad virum Dei cum univérso comitátu suo
venit et stetit coram eo et ait:
«Vere scio quod non sit Deus in univérsa terra,
nisi tantum in Israel!
Obsecro ítaque,
ut accípias benedictiónem a servo tuo».

¹⁶ At ille respóndit:
«Vívit Dóminus, ante quem sto, non accípiam».
Cumque vim fáceret, pénitus non acquiévit.

¹⁷ Dixítque Náaman:
«Ut vis.
Sed, óbsecro, concedátur mihi servo tuo
tantum terræ quantum onus duórum burdónum;
non enim fáciet ultra servus tuus
holocáustum aut víctimam diis aliénis,
nisi Dómino».

Verbum Dómini.